

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2173

Auteur(s) : Bayeux (official)

Bénéficiaire(s) : Guillaume Bertran, Fontenay-le-Marmion (seigneur)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1275, 30 septembre

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

« Cest la lettre de Radulf Labbé de Saint Germain du Quemin et Maheut sa fame(analyse du milieu du XIV^e s.) ». Devant l'official de Bayeux, Mathilde, femme de Raoul dit Labbé, a reconnu que Raoul a vendu à Guillaume, seigneur de Fontenay-le-Marmion, les droits et terres à Saint-Germain-du-Chemin.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Saige Gustave, *Cartulaire de la seigneurie de Fontenay le Marmion*, Monaco, Imprimerie de Monaco, 1895, n° XLI, p. 58-59.

Texte établi d'après a

Universis presentes letteras inspecturis, officialis Baiocensis salutem in Domino. Noveritis quod in jure coram nobis constituta Matillis uxor Radulphi dicti Abbatis, de parrochia Sancti Germani de Quemino, dicto Radulpho coram nobis presente et eidem Matillidi auctoritatem prestante, recognovit spontanea quod idem Radulphus vendidit, concessit et penitus dimisit Guillelmo dicto Bertran armigero, domino de Fonteneto le Marmion, tresdecim boissellos ordei, ad mensuram dicte ville de Fonteneto, annui redditus, quos dictus Radulphus ratione dicte Matillidis percipiebat annuatim et habebat ; videlicet decem boissellos super masnagio Laurentii dicti Malnourri, sito in parrochia predicta Sancti Germani juxta quemimum domini Regis, sicut dictum masnagium se extendit in longum et latum, et tres boissellos super quinque acris terre sitis in eadem parrochia Sancti Germani, videlicet duabus et dimidia apud altum quemimum, in eadem pecia, juxta terram domine Johanne de Maiseto. Item acra et dimidia in Courcheria in butu culture domini Guillelmi de Fonteneto militis, et una acra in Ronchereio, inter terram quam fuit Roberti Clementis, ex parte una, et terram dicti Laurencii Malnourri, ex altera, cum omni jure, justicia et dominio que ratione dicti redditus dicti Radulphus et Matillis, ratione dicte Matillidis, habebant aut habere poterant in premissis, pro quinquagnita quinque solidis turonensium, de quibus confessi sunt dicti Matillis et Radulphus sibi fuisse plenarie satisfacti. Et juravit dicta Matillis, tactis sacrosanctis evvangiliis, spontanea, quod ipsa, ratione dotis, dotalicci, maritagii, hereditagii, donationis propter nupcias, seu alia de causa, per se vel per alium de cetero, non veniret contra venditionem predictam, nec ipsum Guillelmum Bertran aut ejus heredes seu aliquam aliam causam habiturum ab eo super hoc de cetero molestabit aut faciet molestari, et quod in dicto redditu nichil de cetero reclamabit aut faciet reclamari, volens et concedens quod si secus fecerit, quod nos ipsam ex tunc, nulla monitione premissa, excommunicemus et faciamus excommunicatam publice nunciari, et ei super hoc omnem audienciam infero quolibet denegari. Et nos ipsam Matillidem ad juramentum suum observandum condenpnamus.

In cuius rei testimonium sigillum curie nostre presentibus duximus apponendum. — Vale. — Datum et actum anno
Domini M° CC° septuagesimo quinto, die lune post festum Sancti Michaelis in Monte Gargano.